



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Caput 11. De Vsura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

498 Pars 3. tract. 5 cap. 10. De commodato, &c.
miserit per hominem, qui vulgò fidus audiebat, isque sibi retinuerit, vel perdiderit, rem domino periisse censet *Molina apud Escobar, &c.*

10. Mutuans ad damnum faciendum obligatur in conscientia, si de rei vitio mutuatarium non monuerit.

Item nisi par necessitas urgeat, rem mutuam ante tempus repetere non potest.

11. Tenetur mutuatarium præstare casum fortuitum mutuo evenientem, cum penes eum rei dominium sit, & in eadem qualitate, & quantitate eam suo tempore reddere debeat.

Non licet in vero mutuo, ullum lucrum accipere, quia esset usura, ut cap. seq. magis patebit.

12. Mutuum distinguitur à pignore, hypotheca, & locato, quod in his dominium rei in alterum non transferatur cui ea oppignoratur, sed tantum usus, uti diximus de commodato & deposito, in mutuo autem cum usu dominium transfertur. *Bonac. d. 3. q. 3. p. 1. &c.*

CAPUT XI.

De Usura.

1. **U**suræ est lucrum ex mutuo: tale lucrum est quilibet pretio æstimabile, quod supra summam capitalem præcisè ratione mutui exigitur. Hoc autem iniquum est, exigere lucrum pro re mutuata, quæ non est amplius tua, sed aliena; quia rei mutuatae dominium transfertur in eum, qui mutuum accepit.

2. Usuræ non est, si nihil ut pretium mutuans intendat, sed ex gratitudine tantum aliquis speret, & eam intentione illi aliquid doneatur,

tur, etsi illud ut finem principale intendat.
Mol. To. 2. d. 305. n. 6. C. Lugo d. 25. &c.

3. Usura tamen incurritur dum ultra sortem signatè aliquid exigitur tanquam ex benevolentia aut gratitudine debitum. Aliud enim est aliquid ex gratitudine sperare, aliud ut debitum exigere; hoc enim aliquam mutuam transactionem præsupponere videtur.

4. Si des mutuum, ut te in alterius amicitiam insinues, usura non erit; imò nec si inde speres aliquod officium. Quia amicitia pretio æstimatur.

5. Usurarium tamen est & illicitum pactum de officio aliquo obtinendo à mutuatario, vel de ejus opera pro te impendenda: ita communiter Doctores cum *Molin. Less. Salas. C. Lugo.*

6. Usura non est postulare aliquid ratione difficultatum vel expensarum, quæ erunt, vel timeantur in recuperanda sorte quæ mutuò datur: item ratione periculi in eadem recuperanda. Quia pretio æstimari potest quod quis se in talem difficultatem periculumve conjiciat.

7. Nec est usura pacisci & accipere aliquid ratione emergentis damni, cujus mutuum verè causa sit, aut cessantis lucri, vel cessaturi, modò de hoc ipso mutuatarius præmoneatur: ut si cum pecunia tua quam alteri mutuaris poteras & volebas negotiando quæstum facere.

8. Usura est, mutuare frumentum vetus cum obligatione ut restituatur novum certo tempore, si quidem qui dat mutuum sciat novum fore melius, & majoris pretii. *Sylv. Navar. Trul. d. 15. n. 11.*

9. Ex sententia communi usura est, si mutuum des ut postea ex debito civili obligetur mutuatarius, tibi mutuari vicissim, aut vendere,

re,

500 Pars 3. tract. 5. cap. 11. De Usura.
re, aut merces apud te emere, aut operas suas
tibi locare. Ejusmodi enim obligatio pretio
æstimabilis est, quæ mutuatarium privat po-
testate emendi alibi &c. *Lessius l. 1. c. 20. d. 8.*
C. Lugo, Layman. l. 3. tr. 4. cap. 16. num. 3.

Item si frumentum quod alibi habes mutuum
des, cum obligatione, ut reddatur vel hic vel
alibi, ubi plus valet, cum sumptu vel labore
majori. Nisi fortè alius titulus æquivalens ac-
cedat, lucri cessantis, periculi, &c.

10. Si mutuo des, v. g. decem modios tritici,
& interim per accidens crescat tritici pretium,
potes eandem mensuram repetere. Quia sic
non petitur frumentum mutuum propter ejus
pretium, sed propter ipsam substantiam fru-
menti, cui eadem mensura est æqualis. *Laym.*
Bonac. Aliud est de moneta dum ejus valor
accrevit, quia in ea æqualitas valoris non sub-
stantiæ spectatur, *Laym. Bonac. &c.*

Præter obligationem restitutionis, usurarius
est obnoxius pœnis à jure constitutis *cap. quam-*
quam, de usu. in 6. ut si sit publicus sive noto-
rius, non debeat admitti ad communionem al-
taris, aut absolvi donec usuras actu restituat
vel cautionem pro iis præbeat, neque sepeliri
in loco sacro, & qui sepelit ipso facto est ex-
communicatus. *Bonac. Lessius, Trul. Laym. &c.*

CAPUT XII.

De Emptione, & Venditione.

1. **E**mptio, est contractus quo pretium pro
merce solvitur: venditio, quo pretium
pro merce accipitur. Uterque contractus mer-
cis traditione completur, & utriusque justitia
in